



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XVI. De jure investiendi Sacerd.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

CAP. XVI.

De Jure investiendi Sacerdotes.

I.

Non agimus hic de jure illo, quo Episcopi investiti fuerunt, cui id competat, & quæ ejus fuerint fata, quandoquidem istud jam tum *lib. 2. cap. 2.* delineatum fuit, neque opus est, ut refricentur vulnera illa, quibus miserè sauciata fuit Imperii Romani facies. Sed agendum hic nobis est de jure illo, quo Episcopi inferiores Sacerdotes in possessionem ministerii constituere soliti fuerunt. Hic enim proprius est significatus vocabuli investituræ, ejusque usus in jure feudali maximè occurrit, ex quo suas etiam investituras formare voluisse videtur Ecclesia. Uti namque jure feudali investitura alia statuitur esse abusiva, alia propria; ita hæc vocabula etiam applicari poterunt ad investituras Ecclesiasticas, propter eundem scilicet procedendi modum, & easdem investiendi rationes. Et sanè abusiva investitura, cum per eam non propriè, sed fictè & impropiè traditio feudi fiat, nec possessionem quidem propriè transfert, sed tantum transferre fingitur, eum in finem, ut vassallus per eam jus feudi, & actiones ac remedia, quibus possessionem actualem adipisci potest, consequatur. Sed per propriam investituram plus consequitur vassallus, ipsam scilicet realem & actualem possessionem, in quam ipse aut alius ejus nomine ab ipso Domino, vel alio ejus nomine, præsentè Curia, inducitur.

II. Haud aliter etiam in Ecclesiasticis beneficiis investitura, quam abusivam dicerent Feudistæ, distingui cœpit ab institutione, quæ investituræ propriæ æquipollet. Sic enim statuunt juris Canonici Doctores, per investituram, possessionem beneficii non acquiri, sed per institutionem, sive inductionem in possessionem beneficii, quæ ipsius investituræ veluti quædam executio sit. Eamque distinctionem fundatam ajunt in *c. vifis. 16. q. 2.* cujus tamen verba tam obscura sunt, ut difficulter aliquis inde elici possit sensus. Videtur verò distinctio ista omninò conformis esse juri Feudali, in quo *lib. 2. c. 7. in fin.* hæc leguntur verba: *Investiturâ factâ & fidelitate subsecutâ, omni modo cogatur Dominus investitum in vacuam possessionem mittere.* Et hæc missio jure Canonico dicitur institutio, ita ut præcedat investitura, sequatur institutio. Anton. Bengens & Francisc. Pinsson. *de benefic. ad verb. institutione, pr. n. 2. seqq.* quanquam sint alii, qui institutionem & missionem in possessionem haud convenire statuunt, eò quod inductio in realem possessionem etiam in laicum cadat, institutio verò non cadat. H. Zoef. *ia comment. ad tit. de institut. n. 4.* Subtilius adhuc discrimen faciunt alii inter

inter institutionem, investituram, & missionem in possessionem, uti videre licet apud Paulum de Citadinis *de jure patron. part. 6. art. 3. n. 82.*

III. Quicquid hujus sit, non alius videtur fuisse finis & scopus hujus institutionis, & investituræ realis ac propriæ, nisi ut in possessionem redituum & perceptionem veniret noviter ordinatus minister Ecclesiæ. Etsi enim officia Ecclesiastica sint spiritualia, nec adeo in commercio sint, & propterea omnem possessionem respuant; ea tamen Canonistæ ita conglutinarunt reditibus & bonis temporalibus, ut ex eorum conjunctione unum aliquod constitutum sit, quod beneficium vocant; & quidem tantâ cum disparitate, ut utile temporale, quod annexum, & accessorium atque consecutivum esse deberet, principale hodiè sit atque præcipuum. Sic enim definiunt beneficium, quod sit distincta & spirituali muneri conjuncta jurium ecclesiasticorum portio, certis ædibus sacris in hoc assignata, ut perpetuo per Clericos ad vitam utenda, Clerico legitime assignetur. Petr. Gregor. *tr. de benefic. cap. 6. n. 5.* Sic igitur retinuit quidem beneficium aliquem officii respectum, sed eum admodum tenuem & penè nullum. Nee mirum proinde est, tantam sollicitudinem haberi de adipiscendâ possessione beneficii, quippe quæ propter excessum, quo spirituale à temporali superatur, facilius nunc locum invenit, quæque propterea tamen nunc quaritur, & summâ cum contentione.

IV. Hanc institutionem non aliàs locum habere volunt hodierni Canonistæ, nisi in Ecclesiâ patronatâ, & propterea distinctionem faciunt inter institutionem & collationem. Institutio enim illis nihil aliud est, quàm beneficii translatio facta ad præsentationem patroni ab Episcopo vel Ordinario, & receptio in Clerum, ut officium seu liturgiam in Ecclesiâ præscribere modo peragat. Collatio verò dicitur esse libera beneficii concessio, sine ullâ cujusquam vel patroni vel alterius præsentatione vel nominatione præviâ. Unde dicunt Canonistæ, collationem beneficii factam à prælato continere gratiam & liberalitatem non in dando, sed in cui dando, quia scilicet tenetur beneficium conferre, non tamen præcisè Titio aut Gajo; institutionem autem neque in dando, neque in cui dando continere gratiam ex parte instituentis, cum prælatus etiam invitus præsentatum idoneum instituere teneatur, dum tamen is ad beneficium adipiscendum sit idoneus. Didacus Spino à Caceres *in spec. testam. gloss. 27. n. 61.*

V. Quæ omnia tamen cum sint noviorum temporum inventa, vix erit, ut eorum aliqua ex antiquis Ecclesiæ scriniis peti possint probationes. Quin arbitror, in ipso ordinationis actu datam fuisse simul potestatem eundi & adprehendendi possessionem officii vacantis. Et quia feudaliū iurium imitatio tantopere placuit Ecclesiæ, placuisse videtur etiam modus, qui habetur 2. F. 32. ubi dicitur: *Sciendum est itaq; feudum acquiri investiturâ,*

in successione, vel eo, quod habetur pro investitura: ut. ecce si dominus alicui coram paribus curiæ dixerit: Vade in possessionem illius fundi, & teneas illum pro feudo. Licet enim non intercessisset investitura, tamen tale est, ac si intercessisset: quia ille ejus voluntate possessionem fundi nactus est feudi nomine. h. e. Licet non intercessisset proprius tradendi modus & investitura realis ac propria, tamen postquam vassallus à domino in possessionem ire iussus, possessionem nactus est, tale est, ac si realis investitura intercessisset, quia scilicet occupatio ista pro traditione est. Quasi traditio enim facta videtur, si adprehendatur possessio domini voluntate, l. 6. ff. de donat. Ad eundem modum potuit etiam is qui ordinavit alterum potestatem ei dare eundi in possessionem ministerii vacantis, & hic possessionem voluntate ordinantis adprehendere. Et hæc fortè causa est, quod tam pauca hodiè in veterum scriptis inveniantur hujus in possessionem missionis & introductionis realis argumenta.

VI. Investituræ autem abusivæ nonnulla subinde occurrunt testimonia, quam tamen & ipsam in ordinationis actu plerumque exercitam existimo. In jure civili inter alios traditionis modos recenseretur etiam ille, qui fit per symbola, quæ rem ipsam repræsentant, quomodo per traditionem clavium res inclusæ traditæ intelliguntur §. 44. Inst. de R. D. l. 74. ff. de contr. empt. & per traditionem instrumenti sive documenti literarii, res in isto instrumento descriptæ traditæ censentur, l. 1. C. de donat. l. 77. ff. de R. V. Hos eosdem modos & longè adhuc plures in usum recepit Ecclesiæ, sive ipsa dederit aliquid, sive acceperit ab alio, quos longo ordine recenset Anton. Dadinus Alteserra ad c. 2. §. de consuetud. & copiosius adhuc Carolus du Fresne in glossar. verb. investitura. Seculo verò octavo & nono obtinuit, ut beneficiorum minorum investitura ut plurimum libello, majorum autem pedo aut baculo fieret. Eoque facit testimonium Iyoni Carnotensis episcopi. 182. dum ait: Nuper cum in capitulo nostro quedam officia secundum ecclesiæ consuetudinem dispensarem, & porrecto libro investituram subdecania Fulconi clerico strenuo & in agendis causis Ecclesiasticis valdè necessario facere vellem &c. Et ejusmodi traditiones symbolicas in ipso actu ordinationis intervenire colligere licet ex canonibus Concilii Carthaginienfis IV. quos recenset Gratianus c. subdiaconus, & seqq. dist. 23.

VII. Quibus solennitatibus hodiè fieri soleant in Ecclesiâ Hispanica institutiones, investituræ, & missiones in possessionem, disci potest ex formulis, quas recenset Augustinus Barbosa de offic. & potest. parochi, part. 1. cap. 2. Ostendunt illæ, institutiones quidem fieri ab Episcopis per bireti impositionem, sed missionem sive introductionem in possessionem auctoritate & ex mandato Episcopi, per Archipresbyteros, Vicarios, Rectores, Clericos, Capellanos, Notarios & Tabelliones publicos, quisquis eorum requi-

requiritur fuerit. Sed & institutionem non præcisè in Ecclesiâ fieri debere, sed posse eam expediri in quocunque loco alio, quamvis non solito, dummodo honesto, ex Cæsare Lambertino docet idem Barbosa *de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 72. n. 195.* Introductionem verò nec præsentiam quidem noviter instituti aut ordinati exigere, sed posse eum etiam per procuratorem induci, ostendit formula 10. n. 2. ab eodem Barbosa loco supra adducto relata: *Ipsi vel eorum alter, qui super hoc fuerit requisitus, ad dictam parochialem Ecclesiâ accedant, seu alter eorum accedat, ac te vel procuratorem tuum nomine in corporalem, realem, & actualem possessionem parochialis Ecclesiæ, jurium & pertinentiarum prædictorum inducant, auctoritate nostrâ, & defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac tibi de illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis respondeant & responderi faciant &c.*

VIII. Quibus verò ceremoniis hæc introductio fieri soleat, patet ex instrumento Notarii, quod idem recenset Barbosa *form. 13.* Verba huc facientia sunt ista: *Ego verò Notarius prædictus, ut præmittitur, requisitus in vim mandati ex parte illustrissimi D. præfati in hac parte mihi facti volens & cupiens obediente parere præfatum D. N. in corporalem, realem & actualem possessionem prædictæ parochialis Ecclesiæ Sancti N. juriumq; & pertinentiarum prædictorum per ingressum majoris portæ sive januæ dictæ Ecclesiæ, tactu annuli ejusdem, & per tactum cordarum Campanarum, & missalis, calicis, & ornamentorum, clavium Sacrarum & fontis baptismalis dictæ Ecclesiæ & subsequenter per accessum domus presbyterialis ejusdem Ecclesiæ & per tactum vêtis anterioris portæ & per introitum dictarum domorum nemine contradicente in DEI nomine posui & induxi &c.*

IX. Quæ omnia manifestè probant, totum istum institutionis & investituræ actum in Ecclesiâ Latinâ solùm propter ministerium Ecclesiæ, qui instituitur, & propter temporales redditus, qui ei assignati fuerunt, haudquam propter gregem, cujus cura ei committitur. Hoc enim est, quod jam sæpe dixi, in officiis Ecclesiasticis non tam id quæri hodiè solere, ut Ecclesiæ benè sit, & ut cultus divinus promoveatur, quàm ut benè sit illi, qui ad hoc officium constituitur. Quanto rectius in nostris Ecclesiis investitura hodiè peragitur, quippe quâ persona ad ministerium legitime vocata & ordinata gregi, cui præficienda est, per Superintendentem sistitur, ac prælectis confirmationis literis solenniter introducit, cui actui conjungi solent seriæ adhortationes, quibus tum novus minister, tum auditores officii sui admonentur, ac stipulatâ manu ad sedulam illius executionem obligantur, seriæ item præces, quibus officium ministri DEO commendatur. Gerhard. *Loc. de minister. Eccles. §. 170.* Formula & modus procedendi præscribitur in *Ordinat. Eccles. Saxonica.*